

cobino de Candia, Joanne Gatto de Casteletto, Cristofaro della Sala de Tridino, Euxebio Tilio, Stephano de Novello de Tridino, Matthæo de Bondonis de Tridino, ac Olino Vassallo de Diano testibus notis, vocatis, & rogatis ex præcepto illustrissimæ infrascriptæ Domina Testatricis. Ibidem cum serenissima, & excelsa Domina Sophia de Monteferrato Dei gratia Romanorum Imperatrix sana mente, & sensu, infirma, cognoscens, quod nil est certius morte, & nil incertius hora mortis volens animæ suæ Deo primo salubriter providere, ut tenetur quilibet fidelis Cristianus de bonis suis mature disponere, ut post ejus obitum nihil dubii remaneat, suum nuncupativum sine scriptis in hunc modum, qui sequitur, facere disposuit, & facit testamentum. Primo recomandavit animam suam Altissimo, quando placuerit ipsam recipere, & ab hoc seculo pertransire, ac Beatæ Virginis Mariæ, ac toti Curiaæ cœlesti, orans, ut tunc ipsa in brachiis ipsorum per eorum misericordiam dignentur recipere. Item dicta Testatrix jussit, voluit, & ordinavit, quod quando Deo placebit ipsam ab hoc seculo emigrare, quod ejus corpus portetur, & sepeliatur in Ecclesia sancti Morixii devoti sui, & penes Ferrugiam, & ante Capellam magnam dictæ Ecclesiæ, cui Ecclesiæ S. Morixii ipsa Domina Testatrix legavit pro anima sua, & pro reparatione, & auxilio fabricationis ipsius Ecclesiæ florenos centum monetæ Montisferrati solvendos per infrascriptum illustrissimum cohæredem de redditibus, seu fructibus Castri Tridini; item jussit, voluit, & ordinavit, ac legavit eidem Ecclesiæ S. Maurixii omnia paramenta, & fulcimenta Capellæ, & libros ipsius Domina Testatricis, ita quod semper sint Ecclesiæ prædictæ S. Maurixii. Et similiter vestes duas ruxas, & auro contextas ipsius Domina Testatricis pro paramentis faciendis in dicta Ecclesia, ut semper fratres dicti Conventus precantur Deum pro anima ipsius Testatricis, & ipsam recomandent in omnibus, & eorum officiis, & orationibus. Item ipsa Domina Testatrix, quantum magis stricte potest, recomittit dictam Ecclesiam S. Maurixii illustrissimo Domino Marchioni fratri suo, & hæredibus suis, ut taliter providere dignentur de sufficienti numero fratrum, quod ipsa Ecclesia sit bene officiata continue. Item legavit præfata Domina Testatrix, & jussit, & ordinavit, quod per hæredem suum infrascriptum dentur, & solvantur illo meliori modo, & tempore, quo poterit nobili Catherinæ de Montilio uxori quondam Maffrii florenos centum. Item simili modo legavit, & jure legati relinquit Sophiæ de Massa alios florenos centum. Item simili modo legavit Mariæ uxoris nobilis Bartholomæi de Villa de Deatis jure legati florenos centum solvendos per dictum suum hæredem modo, & forma præscriptis. Et similiter Alaxinæ de Occimiano legavit florenos viginti. Item præfata Domina Imperatrix, & Testatrix rogat præfatum hæredem suum illustrissimum Dominum Marchionem Montisferrati ejus fratrem, quod semper habeat recomissum Theodororum Spinolam filium suum spiritualem, ut præfata Dominam Testatricem. Item ordinavit, & voluit ipsa Domina Testatrix, quod horigeria duo laborata alias donata per Dominam Matrem ipsius

Theodori Spinolæ remaneant præfato Domino Marchioni, qui ipsorum precium solvat ipsi Theodoro. Item considerato, quod egregius Medicinæ Doctor Dominus Magister Jacobinus de Blandrate de Tridino, postquam præfata Domina Testatrix reduxit ad partes istas, continue stetit occupatus penes ipsam Dominam sine alia remuneratione, quod præfatus D.D. Marchio abiliiori modo, & tempore, quo poterit, providere dignetur ipsi Magistro Jacobino. Et maxime requirit ipsum Dominum Marchionem, quod post mortem ipsius Domina Testatricis velit affictare Castellaniam Tridini eidem Magistro Jacobino tali precio, quo possit hæc aliaque debita restaurare de præmissis propter bona ejus bona servigia; & quod hoc sit in beneplacito ejusdem Domini prælibati, quod omnia vera debita ipsius Domina Testatricis, quæ reperiantur post ejus mortem, solvantur integraliter per præfatum Dominum Marchionem hæredem suum infrascriptum. Item legavit, & jussit quod illustris Domina ejus Neptis habeat Coffanum unum pulcherrimum dictæ Testatricis, quod est sub uno Choero pulchro, & maximi valoris. Item unum penalionum pulchrum. Item præfata Domina Testatrix legavit, & ordinavit, & sic requirit illustrem Dominum Marchionem ejus fratrem, & hæredem infrascriptum, quod velit ex nunc per literas suas patentes facere debitam facultatem nobilibus Bartholomeo de Villa de Deatis, & Mariæ ejus uxori pro ducatorum quatuorcentum, pro restanti dote ipsius Mariæ, & quos habere debent ab ipsa Domina Testatrice, & sic dicit ipsa Testatrix eis dare debere, & taliter facere velit ipse Dominus Marchio, quod ipsos Ducatus quatuorcentum habeant ab ipso Domino Marchione sine alia retencione. Item simili modo dicta Testatrix legavit Domino Magistro Jacobino Phifico præfata Domina ducatos 50. auri, & rogat, quod ipsum velit per literas suas assicuri. In omnibus autem aliis bonis suis, & dictæ Testatricis mobilibus, & immobilibus tam in Tridino, quam Morano, & alibi juribus, & actionibus, & nominibus debitorum, & creditorum ubicumque sint, vel reperiri possint quoquomodo sibi universalem hæredem instituit dicta Domina Testatrix præfatum illustrem Dominum Joannem Jacobum Marchionem Montisferrati ejus fratrem affirmans, & approbans ipsa Testatrix omnem donationem, & contractum tam cum carta, & sine carta factum, & factam per dictam Dominam Testatricem præfato illustri Domino Marchioni, & de novo faciens donationes prædictas ipsi Domino Marchioni per se, & hæredibus suis, & hanc ejus ultimam voluntatem, & nuncupativum Testamentum sine scriptis asseruit esse velle ipsa Domina Testatrix, quod si non valet, vel valebit jure Testamenti nuncupativi, saktem valeat jure Codicillorum, & cujuslibet alterius, & ultimæ voluntatis, qua, vel quibus melius valere possit, & tenere de jure. Præcipiens dicta Testatrix de prædictis omnibus, & singulis fieri publicum instrumentum per me Seraphinum Notarium infrascriptum rogatum per ipsam Dominam Testatricem præsentibus testibus infrascriptis notis, & rogatis currentibus annis Domini MCCCCXXXIV. indict. XII., die ultima mensis aug.

Et ego